




OBSERVATIO CLXXXIII.

D. Friderici Lachmund

Testudo ex suo scuto, ut vulgus putat, exire non potest.

Vulgus in eâ opinione est, testudines ex suo scuto posse exire, non aliter ac cochleæ ex domo sua, præsertim si candens carbo illis imponatur; hoc autem falsissimum esse, & nullo modo fieri posse, admiranda hujus animalis fabrica, & in primis skeleton, eum in finem appositum, nobis ob oculos ponit; quod enim in cæteris animantibus costæ sunt, hoc in testudinibus scutum superius, cui etiam vertebræ spinales firmiter annexæ, & quod in illis sternum, hoc in his scutum inferius, planè autem contrariò modo se habent: in aliis enim animantibus costarum & sterni compages, in corpore latitat, in testudinibus verò corpus scuto includitur.

OBSERVATIO CLXXXIV.

D. Friderici Lachmund

De

Avibus præter naturam candidis in Episcopatu Hildesheimensi & vicinia, qualis est aureola, linaria, passer, hirundo alauda, corvus.

Quemadmodum notum est, in septentrionalibus regionibus reperiri corvos, vulpes, lepores & alia animalia naturâ candida; sic in Germaniâ aves præter solitum nivæ aliquando visæ & captæ sunt: uti hoc Schyvenckfeld. observavit. Et sicut Episcopatus Hildesheimensis cæteris regionibus palmam præripit in vario lapidum lusu, (uti hoc ex *Orytographiâ meâ Hildesh.* satis constat, quorum lapidum etiam alii adhuc satis curiosi postea à me reperti, nec antehac ab alio autore delineati sunt, unde figuras anno sequenti Ephem. inserendas transmittam) ita etiam animalia minus vulgaria, præcipue aves albæ in eo sunt visæ & observatæ. Anno enim 1667. *Aureola* tota candida propè pagum Binder, in quo sedes est Nobilium de Stopler, est transmissa, quam ego adhuc inter rariora servo.